

Nr. 13.

16

IO. AVGVSTI NOESSELT

COMMENTATIO

AD LOCVM PAVLLI APOSTOLI AD ROM. VIII, 19. seqq.

QVI EST

DE ΑΠΟΚΑΡΑΔΟΚΙΑ ΤΗΣ ΚΤΙΣΕΩΣ

NOMINE

ACADEMIAE FRIDERICIANAE HALENSIS

AD

MEMORIAM

SPIRITVS SANCTI IN APOSTOLOS EFFVSI

COMMENDANDAM CONSCRIPTA.

HALAE MAGDEBURG. FORMIS HENDELIANIS.

g.

as

AGATI NOTARII
CONVENTUS ET CONSISTORII SANCTI AGATI
AD APODAPONIA TENTITRIZ
MEMINIS
VOCATIONE HEDIBUSIANAE HERITIS
MEMORIAM
SINTAS FANCIJ IN HISTORIAS
HEDIBUSIANAS DESCRIPTAS
HEDIBUSIANA HISTORIAS



Vt natura religionis Christianae vniuersa cultum Dei commendat eum, qui non rerum externarum vanitate, sed studio mentis ac pietate animi contineatur; atque propter ea in omnibus institutis, quibus Deus illam doctrinam suam illustrauit, non tam in illa externa, quamquam Deo digna, magnificentia, sed in referenda ad nos beneficiorum magnitudine, iactare se diligentiam nostram oportet: ita hac felicitate nostra in primis contemplanda nos decet celebrare dies eos, quos singularium beneficiorum memoriae veterum Chrifianorum pietas dicauit. Magna sunt & longe quam dici potest illustriora, quae Deus olim effundenda in Apostolos linguarum facultate fecit; sed cogitatione nostra multo dignius est consilium Dei in hoc dono ad Euangelium latissime propagandum conferendo. Ac vere iste dies, quo illa facultas Apostolis contigit, dici potest natalis Ecclesiae Christianorum; si quidem ista Ecclesia non Iudeorum debuit propria esse, sed ad omnes



vndiquaque gentes pertinere. Quod Deus non modo adumbravit illa linguarum varietate, quam ad constituendam Christi Ecclesiam Apostolis concessit, sed demonstravit etiam per dona ista communicata cum iis, qui ab idolorum cultu se ad Christianam religionem conuerterant, quibus donis sibi cum Iudeis communibus quasi initiati fuerunt & cooptati in collegium Christianorum, ut Petrus Apostolus perspicie docet Act. XI, 17.

Enimuero si hoc se beneficiorum genere continuisset Deus, parum id quidem fuisset ad gentium salutem. Nam & illa dona poterant esse sine vera in Deum pietate (Matth. VII, 22. 23.), qua si quis vacuus est, non haber spem obtainendae beatitatis sempiternae; & sunt etiam longe praestantiora, quae magis attingunt veram animi salutem, eaque & perennia & in omnem partem profutura, ad quae Paulus 1 Cor. XII, 31. iubet Christianos maxime contendere. Quare ii, qui Petrum audierant gentibus propter dotes illas ad prodigia concessas dignitatem Christianorum asserentem, statim exclamarunt (Act. XI, 18.): "Αξα γε ναι τοις Ἡρεσίοις ὃ Θεὸς τὴν μετάνοιαν ἔδωκεν εἰς ζωήν, igitur ἐγενήθη gentibus Deus resipiscendi facultatem dedit ad salutem!" Nempe cum gentes etiam obedientes fuissent diuinæ ad gratiam omnibus per Iesum Christum paratam invitationi, dabat illis Deus Spiritum Sanctum, quo & facultatem nanciserentur exercendarum cuiuscumque generis virtutum (qua in re vera μετάνοια est.) & quasi pignus haberent futurae beatitatis, quo Deus confirmaret fore, vt, quod cuperent, eo aliquando potirentur h. e. vt, relaxatis liuius corporis vinculis, quibus vel inuiti libidinibus constringendi tradimur, vitam fine futuram sanctissime beatissimeque traducerent.

In hanc fere sententiam vider Paulus Apostolus dicere ad Rom. VIII, 19 seq. Quem locum subobscurum breviter explicare constituimus, non quo nos ad summam illius Paullinae disputationis illustrandam aliquid noui allatuos arbitramur; est enim & ipsa interpretatio, quam sequimur, a multis viris doctis & illustrata &

de-

defensa (*); sed tamen quasdam illius loci partes vel secus, ac illici, constituemus vel confirmabimus, omninoque & rationem illustrabimus vniuersae epistolae, & efficere studebimus, ut, quae dici pro illa interpretatione possint, in vnum quasi locum coniuncta atque characteri Paullinae dictio[n]is in primis consentanea reperiatur.

Est autem non satis obseruatum, certe ad illustrationem epistolae Pauli ad Romanos non semper adhibitum hoc, quod Paulus eam ad Iudaicos Christianos scripsit in primis. Quod quidem facile poterat intelligi ex vniuersa illa disputatione, quae inde a cap. III, 20 docet: non obseruanda lege a Deo praescripta quemquam mereri aliquid, sed gratuitam esse Dei benivolentiam, ut quae debeat propter fidem in Iesum Christum credentibus contingere. In qua cum argumentis vtatur atque exemplis e veterे testamento ductis, omnemque disputationem referat ad opinionem Iudaicarum temeritatem, cogitur eum cum Iudeis in primis disputare. Ac capite quidem septimo v. i. perspicue se ait loqui cum iis qui legis intelligentes sint Iudaici; & non ita multo ante locum eum, quem interpretamur, c. VIII, 15 significat lectoribus suis: quod non acceperint πνεῦμα δελεῖς, πάλιν εἰς φόβον, ut quem ad modum antea, ipsis metu exhorrescere oporteat, sed πνεῦμα νοθεῖς h. e. ut non, quem ad modum pristino tempore, seruorum instar supplicia a Domini severitate metuere, sed tanquam a patre, optima queuis sperare debeant. Ac profecto ante Pauli captiuitatem Romanam, quae incidit in tempora hac ad Romanos epistola posteriora, numquam reperimus Romae Christianos eos, qui de gentibus ad fidem in Christum accesserint, sed

A 3

Iudeos

^{*)} Eos adnumerat WOLFFIUS *Cur. Philol.* Tom. II. p. 147 & HEVMANNVS *Erkl. d. Neuer Teſt.* Tom. VII. p. 334. Addimus qui nuper admodum eandem interpretationem lecut sunt VV. VV. IO. SAL. SEMLERVM, Collegam coniunctissimum nostrum, in *Paraphrasi epist. ad Romanos*, & G. C. B. MOSCHIVM in disp. illustrante triplex quo S. Paulus Rom. 8, 19—25 gloriae coelestis magnitudinem confirmat, argumentum (Arnstadt. 1768).



Iudeos Paullus, cum Romam venisset, iussit aduocari (Act. XXVIII, 17 seqq.), & quos in epistola ad Philippenses c. I, 14 seq. ait Roma Euangelium propagasse studio contendendi aut odio ductos, profecto Iudei erant, ut ibi omnia verba loquuntur.

His igitur Iudaicis Christianis in primis scribit, suntque universae disputationis Paullinae, quoad coniunctae sunt cum loco nostro, hae fere partes, atque hoc disputandi consilium. Designauerat Apostolus c. I, 16 - 18 tres illas primarias sententias, in quibus pars huius epistolae contemplativa aut si maius doctrinalis a cap. I, 19 - XI. versatur. E quibus tertiam (cap. I, 16) tractare incipit capite V. ut demonstret: Euangelium esse medium efficacissimum ad dandam salutem hominibus, sive Iudei sint, iisque primi quidem, sive gentes. Et quem ad modum a cap. VIII ad XI. vtrisque vindicat salutem in Euangelio propositam, commemoratque, quid caussae sit cur Deus, repudiata gente sua h. e. Iudaica, etiam gentes quascunque adscierit & quasi ciuitatis diuinae iure donauerit, ita cap. V - VIII. de vi Euangelii disputat ad salutem humani generis. Quam disputationem ita, si quid videamus, describit, ut *primum* illustret propositionem: de Euangelio salutis medio c. V, 1 - 11, *deinde* illam: omnibus credentibus conferri salutem istam. Quam postremam copiosius explicat c. V, 12 - 21, & cum animaduerteret Iudeos dicturos: haec esse dicta in fraudem legis sibi a Deo datae, eamque frustra datam fore, si, non lege illa obseruanda sed fide, benivolentiam diuinam consequerentur, omninoque doctrina illa Paulli impietatem quamcumque induci, huius calumniae vim breuiter quidem c. V, 20. 21., latius cap. VI - VIII. labefactare instituit. Ac haber ista defensio tres patres. *Principio* docet cap. VI - VII, 6: doctrinae suae vim non esse hanc, ut Christianis det licentiam peccandi, cum ipsa natura doctrinae Christianae sanctitatem commendet. *Tum* cap. VII, 7 - 25 Dei consilium declarat in lege roganda, ut quae data fuerit ad agnoscendam atrocitatem peccati, cuius vis hoc magis

magis intelligatur, quo plura lege interdicta fuerint. *Denique* salubres Euangelii fructus demonstrat cap. VIII, superiusque enunciatum (c. V, 20): *Vbi auctum fuit peccatum, ibi gratia longe magis augetur* s. illustratur, illud igitur enunciatum commen-
ratio ne verissimae consolationis plenissima illustrat, qua nihil sua-
uius & ad commendandam diuini amoris magnitudinem praestan-
tius legi potest.

Cui explicandae essi non possumus hic dare operam, neque enim hoc vel breuitas nostra ferret vel institutum: tamen com-
mentationis vniuersae summam Paullus videtur his verbis compre-
hendere (v. 1.): *Quare nunc nihil reliquum est poena dignum apud eos, qui Christo addicti non secundum carnem sed secundum Spiritum vivunt.* Quae ira latius prosequitur, ut primum v. 2 - 4, illustrat
hoc: quod Christo addicti, (οἱ ἐν Χριστῷ σκιλ. ὄντες, ut v. 8. οἱ ἐν σπείρᾳ ὄντες), quod de coniunctione cum Christo per fidem interpretamur, nam
de pietate in Christum, quae est in recte agendo, postea demum Apo-
stolus dicit, quod illi videlicet non habeant quo propter peccata
in metum coniificantur. *Deinde* a versu 4 ad 17. istius beneficij
spem facit hac lege, si non libidines sed sanctos motus sequantur.
Postremo, vt illud ἀγανάκτην se referebat ad cap. VII., in quo erat
de vitijsitate naturae nostrae conquestus, quae vel sanctissimos
hominum eosque vel inuitos saepe in hac vita auferat, ita nullum
malum, quod hanc vitam nostram peracerbam reddit, hanc pro-
pitiam Dei in nos voluntatem minuere posse, elegantissime de-
monstrat; nam & finem haec mala habitura esse, cum, ab his
corporis compagibus soluti, ad meliorem vitam peruenierimus
v. 18 - 25, & spiritum sanctum infirmitatem nostram adiuuare
v. 26. 27, & sapientissime a Deo esse decretum, vt cum Christo
ad sempiternam gloriam veniamus per aduersitates, quae nos pro-
pterea excludere a Dei amore non possint.

Iam in illa parte huius postremae disputationis, qua Christianorum sollicitudinem consolatur spe vitae melioris, de qua,
essi



eris ad omnes in vniuersum pios Christianos pertinet, tamen, vt dicebamus, proprie hic loquitur ad Christianos e Iudeis, in illa igitur parte videtur istam rem illustrare simili & sollicitudine & spe Christianorum qui de gentibus ad Euangelii beneficia acceſſerant. Quod illustrationis genus nemini mirum videri debet, qui cogitat: etiam alibi (1 Cor. XV, 29 sq.) Paulum in cauſſa noſtrae admodum simili, eadem argumentatione vt & ſpem melioris vitæ conſirmare ſpe eorum, qui ſe maximis vitæ periculis obiecerint; ita enim intelligendus eſt iſte locus, quod aliud Matth. XX, 22. & omnis orationis ſeries demonstrat. Ac omnino per vniuersam ad Romanos epistolam in primis Euangelii beneficia Iudeis tribuit & locum quaſi ſecundum gentibus c. I, 16. II, 10. XI, 17. 18; quare nullo modo abhorret ab iſtituto Paulli, quod dicimus: eum ſpem Iudaicis Christianis conſirmasse per exemplum Christianorum ceterorum, qui, relictis idolis, adiunxerant ſe Christo, iisdemque & malis & ſpe coniuncti cum Iudaicis erant.

Gentes igitur ſunt, noſtra quidem ſententia, quas Paullus nomine τῆς Κτίσεως comprehendit, aut potius de gentibus Christiani. Quomodo hoc dicitur? Id videamus. Primum Iudeos vocabulo בָּרִיאָה f. Κτίσεως in appellandis gentibus uſos eſſe docuit LIGHTFOOTVS (hor. hebr. & talmud. ad Marc. XVI, 15. T. II, Opp. p. 468.) & produnt loca Noui Testamenti Marc. XVI, 15. vbi Christus Euangelium iubet proponi πέρι τῆς κτίσεως, quod reditūr apud Matthaeum: πᾶσι τοῖς ἔθνεσι, itemque ad Coloff. I, 23, vbi Paullus ſe dicit ministrum Euangeli, ἐν πᾶσῃ τῇ κτίσει τῇ ὑπὸ τὴν εὐαγγέλην, quod v. 27. eſt: ἐν τοῖς ἔθνεσιν, ut alibi ſibi tribuit dignitatem Ἀποſόλου τῶν ἔθνῶν Rom. XI, 13. Gal. II, 9 &c.

Porro idem ille Apostolus in locis aliis, cum gentes commemorat, simili vtitur nomine τοῦ κόσμου, habentque illa loca hanc vim, vt non modo poſſint in noſtro gentes intelligi ſed debeat etiam propter attributa quae ibi plane ſic vt in hoc loco de-

declarantur. Ad Ephesios quidem cap. II, 12, ubi perspicue gentes alloquitur ad Euangeli beneficia adductas, eas dicit nuper fuisse ἀπολλοτρωμένας τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραὴλ, alienas a iure ciuitatis Israelitarum, quos hoc ipso declarat propriam gentem Dei s. filios Dei esse, plane ut in hoc, quem tractamus, loco credentes e Iudeis νιόντος τοῦ Θεοῦ dixerat a κτίσει s. gentibus disiunctos. Addit pristinos istos Deorum cultores fuisse ξένους τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελτας, quas διαθήκας & ἐπαγγελτας coniungit Rom. VIII, 4 cum νιόθεσι. Adoptionem vero significat haud dubie talem, quamlibet tribuit iis, qui, repudiato idolorum cultu, filii filiaeque Dei facti essent, ut loquitur 2 Cor. VI, 17. 18; quem ad modum in loco nostro v. 21 τὴν κτίσει similem afferit forte in acquirenda illustri libertate filiorum Dei. Arque etiam hic spem commemorat illam τῆς κτίσεως, cum contra in loco ad Ephefios gentes dixisset olim fuisse ἐλπίδα μὴ ἔχεταις, quae spem non habuerint, cum fuissent Ephesii εἰς τῷ κόσμῳ, inter gentes, sed postea εἰς Χριστὸν Ἰησού, Christiani redditi. Neque fugere quamquam potest, Paulum in ipsa epistola nostra cap. XI, ubi longus est in comparandis iuribus Iudeorum ac Gentium, has κόσμου identidem appellare, v. 12 & 15. Sed satis est hoc indicasse.

Denique Paulus ipse, nisi fallimur, quam κτίση intelligi velit, declarat eo, quod v. 23 κτίση comparet cum iis qui habeant ἀπαρχὴν τῇ πνεύματος. Quae verba quamquam videmus explicari in hanc partem ut spiritum dicant describi tamquam initium & quasi pignus futurae beatitatis obtinendae, neque nos diffitemur multis in locis Spiritum sanctum ab illa vi ad hanc spem confirmandam laudari: tamen ἀπαρχὴν hoc sensu dici valde dubitamus, & vana sunt omnia, quae ad illam rem ex antiquitate institutisque Ebraeorum afferuntur, nisi ἀπαρχὴν pro pignore vel arrha dici perspicue confirmetur. Certe ἀπαρχὴν Paulus ubicunque locorum eos dicit, qui primi h. e. prius quam alii vel fuerint vel obtinuerint aliquid, ut Epænetus c. XVI, 5 ἀπαρχὴ τῆς Ἀχαΐας

B

eis



εἰς Χριστὸν, qui primus in Achaia Christi doctrinam amplexus est, ut Christus ipse i Cor. XV, 20 ἀπαρχὴ τῶν νεκομημένων, qui primus e mortuis ad vitam reuocatus est, vt Iudeorum maiores, qui primi adoptati sunt a Deo, ἀπαρχὴ ἀγάλα dicuntur, & quod loco nostro accommodatissimum exemplum est, Christiani e Iudeis Iacobo c. I, 18 sunt ἀπαρχὴ τῶν Θεοῦ πτισμάτων, qui primi a Deo creati sunt h. e. Christiani facti, gentibus quidem priores. Quam ob rem non dubito vertere τὰς τὴν ἀπαρχὴν τὰς πνεύματος per eos, qui Spiritum priores acceperunt h. e. Christianos Iudaicos; e quo ipso sua sponte intelligitur: πτισιν, quam componit Apostolus cum talibus Christianis, Christianos esse de parte gentium, praesertim cum saepe numero in epistola nostra, vt supra diximus, maxime cum argumentum vniuersae disputationis c. I, 16 enarraret, Iudeis περὶ τοῦ, in primis, afferat Euangeli beneficia.

Atqui in Christianos de gentibus cadunt profecto ea, quae Paullus de ista πτισι commemorat. Quod vt probemus lectoribus & reliquas loci subobscuri partes quodam modo illustremus, placet integrum locum notis adspersis recensere. Sic autem Paulus:

v. 19 *Namque spes creaturae* (aut si mauis: acerrima exspectatio gentium h. e. Christiani e gentibus anquirentes illam paullo post commemorandam beatitudinem. *Ἀποκαρδούσια* non tam est anxia exspectatio, quam, vt Paullus explicat v. 25, ἐλπίς, quae etiam de certa exspectatione dicitur, vt ad Ebr. XI, 1. A Q V I L A Psalm XXXVIII, 8. *καρδουσίαν* habet pro *ἡλπίᾳ*, si ὁ interpretantur ὑπότασσιν, firmam persuasione, SYMMACHVS *ἀναμονήν* patefactionem filiorum Dei exspectat (h. e. exspectat illud tempus, quo illustrabitur dignitas filiorum Dei, qui his in terris humili admodum conditioe vtuntur. Coloss. III, 3. 4. 1 Io. III, 2).

v. 20. *Etenim creatura vanitati addicta est* (Supra c. I, 21 commemo- rabat τὴν ματαιότητα gentium h. e. vanitatem errorum quibus immersi erant; sed h. l. φθορὰ intelligit, de qua dicemus ad v. 21) *non* *sponte*

Sponte quidem (non suo arbitrio, malent enim, ut Pauli verbis
 2 Cor. V, 8 vtiamur in re simili ἐνδημήσας ἐν τῇ σώματος, καὶ ἐνθ-
 μῆσα πρὸς τὸν Κύριον, abesse ab hoc corpore, & adesse apud Do-
 minum) sed propter eum qui addixit sub spe. (Ita interpungen-
 da putamus haec verba, vt ἐπ' ἀπολίθι ad versum 20 referatur, quo
 modo multi codices ac veteres interpretes Graeci haec verba con-
 iunxerunt; addimus iis, quos WETSTENIUS commemoravit,
 MAXIMVM in scholiis in GREGORIVM THEOLOGVM c. III.
 p. 34, qui & pro ματαιότητι habet φθορά, ex interpretamento
 haud dubie. De ipsa sententia meminerimus Paullum l. c. 2 Cor.
 V., vbi se tamquam mole oppressum in corpore ingemiscerent
 describit v. 4, addere v. 7: Διὰ πτερως περιπατήσουεν, καὶ διὰ ἄδεις,
 fide s. spe his in terris viuimus, non sensu, quare se dicit θαρρη-
 σοι, bonam spem habere. Simili fere modo ait Rom. XI, 32: οὐνέκλειστε δὲ Θεός τὴς πάντας εἰς απειθεῖν, ἵνα τὰς πάντας ἐλείση-
 h. e. omnes sicut (ad tempus) repugnare Euangelio, vt (quo tem-
 pore elapsō) omnium misereatur. Vifum ergo est Deo, vt illi e
 gentibus Christiani, quanquam anhelant libertatem ab huius cor-
 poris vinculis, tamen aliquantum per hanc vitam, sub spe fu-
 turae liberationis, miseriae obnoxii sint; qui sensus cum v. 18 &
 28 seqq. pulchre consentit.

Namque & ipsa creatura vindicabitur a seruitute vitiostatis v. 21.
 in libertatem illustrissimam filiorum Dei. (h. e. non modo vos
 post exantlatas aduersitatis huius vitae ad gloriam filiorum Dei
 peruenietis. v. 18, sed ad eandem quoque, secus quam Iudaei pū-
 tare solent, Christiani e gentibus pertingent, postquam ab iisdem,
 quibus nunc presi estis, malis liberati fuerint. Φθορά intelligi-
 mus eam, de qua Paullus conquerebatur cap. VII, v. 23 seq. in
 primis; nam & ibi cupit v. 24. liberari ab hoc mortifero corpore
 plane vt in nostro loco v. 23. dicit filios Dei cupere ac sperare li-
 berationem a corpore suo, & perspicuum est, vniuersam dispu-

tationem, cuius partem interpretamur, coniunctam esse eum
cap. VII, quod totum est in vitiis naturae nostrae enarrandis.).

v. 22. *Nouimus* (satis certum est) enim, quod *omnis creatura hoc ipso tempore ingemiscat & condoleat.* (quo sensu? supra est dictum. Ἀλλα τὰ νῦν μαλιμούς περιττά: *hoc ipso tempore* i. e. hac in vita; propter ea quod anhelare cum gentibus Christianos et Iudeis dicit v. 23. liberationem a corpore. Neque ἀλλα semper tempus definit, ad quod, sed quo aliquid factum fuerit, ut cap. XI, 25. Ebr. III, 13. & sexcentis aliis in locis.).

v. 23. *Non modo autem* (haec creatura anhelat illam libertatem) *sed ipsi quoque, qui primi* (priores quam illa κτίσις) *Spiritum acceptimus* (nobis confirmantem quod simus filii Dei atque haeredes cum Christo v. 16. 17.), *nos ipsi quoque intra nos suspiramus, adoptionem exspectantes* (h. e. tempus quo futurum est, ut nanciscamur illam gloriam filiorum Dei, ἀποκάλυψαι τὸν οὐρανόν Θεόν v. 19.), *liberationem a corpore nostro.* (Hic licebit animaduertere: illud: καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ repetitionem esse eius quod praecesserat: καὶ αὐτοὶ, ut Luc. I, 36: Ἐλατέρωτε -- καὶ αὐτῷ, ipsa quoque, ipsa inquam; nam quid opus est nouum fingi subiectum in illo: καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ, quod volunt de Apostolo ipso aut Apostolis intelligi? Ceterum de ista ἀπολυτρώσει τὰ σώματα nunc non audemus pronunciare in alterutram partem. Namque &c de hoc corpore nostro, magna causā multorum malorum quibus animus affligitur, accipi potest, quem sensum paene omnes sequuntur, vel, per aliquem tropum de illo corpore s. compage peccati, quod Paulus saepe cum eius membris, h. e. singulis libidinibus vel vitiis, commemorat, ut Coloss. III, 5 & supra c. VI, 6; quoniam fere animus inclinat in hanc postremam partem propter similia loca cap. VI, 6 & VII, 24. Sed, quomodo cumque interpreteris, summa sententiae Paulinae eadem videtur esse).

v. 24. *Namque spe beati sumus;* (quid id sit, supra declarauimus ad v. 19, itemque alibi e loco 2 Cor. V, 7. h. e. tamquam futuram spera-

Speramus beatitatem, non fruimur ea praefente) *spes autem, quae cernitur, non est spes* (id, cuius spes facta est, cum tanquam praesens tenetur, non speratur), *nam quod quis cernit quo modo idem sperare potest.*

*Quod si vero, speramus, quae nondum cernimus, patienter v. 25.
ea quidem expectamus.*


Nos vero, CARISSIMI CIVES, agnoscamus, quantum hoc sit, quod Deus per Euangelium Iesu Christi non modo spem nobis fecerit tantae beatitatis, sed etiam tradiderit modum, quo certo possimus scire, *nobis* eam paratam esse in coelis. Quod quidem tamquam certum & fixum tenebimus, cum conscientia verae pietatis in Deum & perpetuum recte faciendi studium nos docuerit, animum nostrum moueri a Spiritu Dei; eritque haec certitudo hoc maior, quo ad omnem veram virtutem vigilantius emerit, vt, qui tales habemus spem, secundum Ioannis admonitionem i Io. III, 3, sanctos nos seruemus per omnem vitam, quem ad modum Christus sanctus fuit, cuius si velimus similes esse in gloria, etiam in vita similes esse oportet. Quare diligenter cogitemus: et si Deus fidem huius spei fecerit, tamen nos nisi *spe* beatos, atque hanc vitam quasi seueram pteratis disciplinam esse, qua nisi subacti fuerimus & praeparati ad meliorem vitam, illa spe excidemus profecto. Contra si ex isto pereundi Deo viuendi studio cognouerimus Dei Spiritum in nobis esse tamquam pignus futurae post hanc vitam felicitatis, ne timeamus in hac vitae praesentis miseria, quam auget aut potius vnicet continet libidinum atque peccatorum vis. Namque visum est Deo vt addicti huic miseriae teneremur, *sub spe* recuperandae aliquando libertatis, cum, omni admixtione corporis liberati, puri & integri, eam viuemus vitam, quae est sola vita nominanda. Istius beatitatis, quae nobis *spe* quidem data est per Spiritum sanctum immisum in animos nostros, memoriam celebrat orbis Christianorum per hos dies.

B 3

Qua-



Quare vos HUMANISSIMI CIVES hortamur: vt, ipsa hac
opportunitate admoniti, exerceatis vos hoc tempore ista spe
& lege, qua datur, studiose contemplanda, atque operam ma-
ximam detis, vt fructum capiatis tantorum beneficiorum per
omnem vitam, & ducti per Spiritum sanctum illam nobis pro-
missam beatitatem laeti sine fine obtineatis! P. P. pridie sol-
lemnitatis Pentecost. A. C. MDCCCLXVIII.




I6 2205


ULB Halle

004 716 302

3







IO. AVGVSTI NOESSELT
COMMENTATIO
AD LOCVM PAVLLI APOSTOLI AD ROM. VIII, 19. seqq.
QVI EST
DE ΑΠΟΚΑΡΑΔΟΚΙΑ ΤΗΣ ΚΤΙΣΕΩΣ
NOMINE
ACADEMIÆ FRIDERICIANAE HALENSIS
AD
MEMORIAM
SPIRITVS SANCTI IN APOSTOLOS EFFVSI
COMMENDANDAM CONSCRIPTA.

HALAE MAGDEBURG. FORMIS HENDELIANIS.